Digitized by Google

Q. D. B. V.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QVAE

AGIT DE PRIMA THEORIAE PARTE, CVI PRINCIPIS FVTVRI INSTITVTIO EST SVPERSTRVENDA, SCILICET DE IVRE NATVRAE PRINCIPVM.

QVAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORVM ORDINE,

PRAESIDE

CHRISTIANO FRIDERICO POLZIO,

PHILOSOPHIAE MAGISTRO,

PVBLICE DEFENDET

IOANNES IACOBVS PFLVGKIVS,

GOELNIZIO-ALTENBVRGICVS,

PHILOS. ET SS. THEOLOGIAE CVLTOR.

IENAE LITTERIS SCHILLIANIS.

Digitized by Google

CICERO Lib. I. de Officiis.

Nulla vitae pars, neque *publicis*, neque priuatis, neque *forenſibus*, neque domeſticis *in rebus* neque ſi tecum agas quid, neque ſi cum altero contrahas, *vacare officio poteſt*.

Digitized by Google

PROOEMIVM.

Quod malum Manichaei fingebant principium in tota hac rerum vniuerſitate, id reuera in ſua eſt ciuitate quilibet malus princeps, quemadmodum contra bonus in ſua erit principium quam plurimarum perfectionum. Sicuti in regno veritatum ex vno abſurdo plura ſequntur: ita etiam in regno ciuili ex vna admiſſa culpa, licet primo intuitu leuiſſima, magna ſaepenumero ſuis progreſſionibus orta eſt ſeges malorum. Nemini id mirabile videbitur, niſi forſitan ei, qui ignorat nexum huius mundi vniuerſalem, quo vel adeo ciuitates omnes inter ſe connectuntur. Quid igitur mirum! ſi damnum atque iactura, quam vnus ciuis, quam vna reſpublica fecit, per omnes non ſolum ſyſtematis partes diffundatur, ſed latius quoque per proximas remotioresue regiones manet: quid! quod in immenſum ſerpat, et multa millia hominum, quorum felicitatem ſummus imperans ſerio volebat, ad ſummam miſeriam atque infe-

licitatem vnius tantum hominis culpa deducantur. Non errauerim, ſi dixerim, mali omnis fontem in republica aut ex praua conſortione aut ex mala et ſiniſtra inſtitutione principis eſſe deriuandum. Nihil eſt verendum, poſterior ſi perfecta fuerit, ne illa ei noceat: tametſi lubens largiar, principi mediocriter a doctrina inſtructo, liberius a natura, praua conſuetudine nihil eſſe periculoſius. Inde facile colligi poteſt, quanti referat, cui magiſtro principis ingenium formandum ac velut recoquendum detur, et quibus doctrinis is in tenera aetate imbuatur: ſi quidem mens ſcientiam a pueritia traditam non minus diu ſeruat, quam teſta, quo ſemel eſt imbuta, odorem. Ex quo fiebat, vt, cum in eo eſſem, vt diſputationem ſciberem, huius argumenti dignitas praecipue mihi ſeſe commendaret. Quo libentius vero illud artis legibus conuenienter pertractaſſem, (tumultuarium enim atque confuſum ſcribendi genus, nec non eorum viam, qui ſi non incerta aut improbabilia, certa tamen absque rationibus diſputant, ſemper abhorrui): eo luculentius perſpiciebam, id commodius fieri non poſſe, quam euolutis antea principiis, quorum complexum *Theoriam* nominare ſolemus. Quibus autem principiis cuilibet de ea materia ſcribenti opus ſit, ex fine reipublicae ac notione regiminis optime poteſt intelligi. Oportet igitur eum, qui ſcienter principem prudenterque vult erudire, noſſe non ſolum officia principum, verum etiam horum officiorum media, motiua atque impedimenta. Scientia officiorum ex ratione cognitorum in Scholis dicitur *Ius naturae*; rationum vero ſcientia, quomodo iſta officia ſunt exequenda *Ethica* adpellatur. Propterea quid

quid per *Ius Naturae* et *Ethicam principum* intelligimus, ex antea dictis facile eſt perſpectu atque diiudicatu. Significationes, quas tribuimus hisce vocabulis, didicimus a viris huius diſciplinae peritisſimis, quorum auctoritas apud nos, licet non ſine ratione, plurimum valet: quanquam *alii* ſint, qui per *Ethicam* internarum ſcientiam obligationum, per *Naturae* autem *Ius* intelligant ſcientiam eorum ſolum officiorum, ad quae diligenter ſancteque colenda alter nos, ab iis ſi diſcedamus, cogere poteſt. Quae cum ita ſint, nemo non videt, cur Ius Naturae principum, ſeu doctrina de horum officiis prius abſoluenda erat, quam de Ethica aut inſtitutione illorum verbum vllum ad regulas artis compoſitum facere poteram. In ipſa prioris tractatione eo, quo par eſt, ordine et quam ipſa rei natura poſtulat, incedimus, adeo, vt *primum* in publicae rei perfectionem, et ſimul in normam inquiramus ſeu legem quandam vniuerſalem, cui principis actiones omnes conformandae ſunt: *poſtea* indagemus in quonam reipublicae conſiſtat gubernatio: *denique* ex hiſce duobus principis ſeu gubernatoris officia deriuemus. Si temporis anguſtia atque ſpatii non prohibuiſſet, praecepta noſtra exemplis hiſtoriarum, tam ciuilis, quam eccleſiaſticae, non illuſtraſſem modo, verum etiam aliorum teſtimoniis notatu dignis ſubinde confirmaſſem. Non enim ignoro, maximam meorum lectorum partem magis iis delectari, quam veritatum abſtractarum ſerie atque connexione. Sed vtrumque, quia diſputationis limites transgredi nolumus, puto in aliud eſſe tempus differendum Habes itaque, L. B. tam cauſſae, quare hoc argumentum aliis praetulerimus, quam ipſius in-

Digitized by Google

ſtituti atque ordinis rationem. Si quis forte aliam, quam diximus, cauſſam harioletur, vel cui potius, neſcio quid, aliud ſuboleat, is ſibi caueat, ne erret atque decipiatur. Nunc penes te ſit, L. B. iudicium. Ex tuo voto ſi non omnia pertractata fuerint, ſi deprehenderis, modo hic modo illic defuiſſe vires: velim recorderis, nihilo tamen minus laudandam eſſe voluntatem. Vale, mihique pariter ac meis hiſce conatibus faue, et a me exſpecta propediem alteram, Deo ſic volente, huius Theoriae partem, *Ethicam* ſcilicet *principum*.

TRACTATIONIS SECTIO I.

MAXIMA EX PARTE METAPHYSICA DE PERFECTIONE REIPVBLICAE, ET IN EA FVNDATA NORMA ACTIONVM PRINCIPIS.

§. I.

Status eſt coëxiſtentia mutabilium cum fixis. Quid *ſtatus hominis* ſit haud difficile eſt intellectu.

Schol. I. Licet ſint, qui obiiciunt, hanc definitionem de Deo, cui ſine dubio competat ſtatus, *ob mutabilitatis* characterem dici non poſſe, adeoque eam eſſe ſuo definito anguſtiorem: nihilo tamen ſecius illam inuariatam retinemus, nihil ab iſta obiectione metuentes.

Schol. II. Per *fixa* intelligimus ea entis praedicata, quae enti ſemper competunt, neque ab eo abeſſe poſſunt. Morbo laborans medico ex eo quaerenti, in quonam ſit ſtatu? numquam per fixa, ſed ſemper per mutabilia, quae cum fixis coexiſtunt, re-

Digitized by Google

reſpondet, hinc patet noſtram definitionem vſui loquendi eſſe conformem.

§. II.

Omnia entis praedicata mutabilia vel modi ſunt, vel relationes (per principia Ont.); et ex diuerſitate horum praedicatorum mutabilium diuerſitas ſtatus oritur: ex prioribus quidem *ſtatus hominis internus*; ex poſterioribus, *externus*.

§. III.

Finis eſt id, quod agens actione ſua intendit. Quod vero continet rationem exiſtentiae finis vocatur *medium*. Cum vero ratio ſit vel ſufficiens vel inſufficiens: *medium* quoque vel *ſufficiens* erit vel *inſufficiens*.

§. IV.

Sine mediis igitur nullus finis ad exiſtentiam poteſt peruenire, et ſi vires agentis obtinendo fini non ſunt aequales, illius actio erit medium inſufficiens. (§. praec.)

§. V.

Perfectio conſiſtit in conſenſu variorum alicuius entis cum fine illius: ſi non conſentiunt cum fine entis, *imperfectio* oritur. Per iſtum non-conſenſum aut oppoſitum finis producitur, aut minus: ſi prius, eum adpellabimus *imperfectionem proprie ſic dictam*; ſi poſterius, *improprie ſic dictam* vocabimus *imperfectionem*. *Perfectio*, vt talis, dicitur *vera*, quam vero falſo pro ea habemus, audit *adparens*.

§. VI.

In omni perfectione adeſt ratio determinans (per principia Ont.). Quae ſi vnica fuerit, *ſimplex*; ſi plures, *compoſita* dicitur *perfectio*.

§. VII.

Ad perfectionem entis requiruntur 1) varia 2) conſenſus horum variorum cum fine illius (§. 5.). Qui numerum itaque variorum conſentientium auget, *extenſiue* augere *perfectionem ſtatus entis*: qui numerum aut gradum con-

conſenſuum, *intenſiue ſtatum* alterius *perficere* dicitur. Hinc intelligi poteſt, quae ſit *perfectio* entis *extenſiua*, ſeu *materialis*, et quae ſit *intenſiua* ſiue *formalis*.

§. VIII.

Quicunque ergo ſtatum hominis ſiue internum ſiue externum vult perficere, is ſcire debet ante omnia, qui modi et quae relationes cum fine illius conſentiant, quae non-conſentiant, et quidem vel ſimpliciter vel adeo diſſentiant. (§. 5. et §. 2.)

§. IX.

Quo plura igitur mutabilia cum hominis fixis coëxiſtunt, quo magis conſentiunt cum illius fine: eo erit perfectior ſtatus hominis (§. 5. et §. 7.). *Perfectiſſimus* proinde erit, ſi nullum mutabile, nullusque horum conſenſus, qui adeſſe poteſt, abeſt. Hinc ſtatus hominis perfectiſſimus habet perfectionem maxime compoſitam, et cui non niſi ſimplex conuenit perfectio non eſt perfectiſſimus. (§. 6.) Quo plura vero non-conſentiunt, ideoque ad finem hominis conſequendum vel nihil plane conferunt, vel adeo oppoſitum illius producunt: eo imperfectior hominis ſtatus erit. (§. 5.) Qui ſit *imperfectiſſimus* ex oppoſitione perfectiſſimi patet. Hinc dantur gradus tam in perfectione, quam in imperfectione.

§. X.

Quod ſtatum noſtrum perficit, dicitur *nobis bonum*: quod eum imperfectiorem reddit, *nobis malum* adpellatur. Eaque ſunt vel *vera* vel *adparentia*, prouti perfectio vel imperfectio aut vera eſt aut adparens. (§. 5.)

Schol. I. Noſtra definita ab aliis quoque nominantur bonum et malum relatiuum in oppoſitione abſoluti, imo etiam prius, *vtile*; poſterius, *noxium*. Quemadmodum vero a non-conſenſu non ſtatim poteſt concludi ad diſſenſum (§. 5.): ita quoque a non-vtili ad noxium conſequentia non valebit.

Schol. II. Hanc diuiſionem non nouam eſſe, ex Epiſtolis infauſti illius *Fauſti Socini* ad ſuos Amicos p. 53. patet, qui amicum quen-

Digitized by Google

quendam negantem, nos peccare poſſe, quia nos in agendo ſemper id ſequeremur, quod bonum ſit, ſatis acute refutabat iam diſtinguendo inter bonum abſolutum et relatiuum. Verba illius ita ſonant: *in duo genera bona diſtribuenda ſunt. Quorum vnum ſit eorum, quae bona ſunt abſolute ac per ſe, id eſt etiam citra id, quod cuiquam boni quidquam adferant; alterum vero eorum, quae bona ſunt relatiue, vt ita dicam, et quatenus ipſa habenti aliquid boni adferunt.*

§. XI.

Status noſter eſt vel internus vel externus (§. 2.): adeoque bona ſunt vel interna vel externa (§. praec.). Ad bona interna referuntur *bona animae* et *corporis:* ad externa *bona fortunae.* Eadem ratione diuidere poſſumus *mala.* Complexus horum bonorum, quibus aliquis eſt inſtructus, dicitur τὸ *ſuum.*

§. XII.

Quicunque igitur ſtatum alterius perficit, aut bona animi aut corporis aut fortunae, aut omnia ſimul vel conſeruat, cum alias perirent, vel auget, et qui horum vnum vel non conſeruat vel non auget, vel imminuit, vel auſert, imperfectiorem reddit ſtatum alterius (§. praec. et §. 5.): per conſequens vel negligit alterius τὸ ſuum, cum id promouere et poſſet et deberet, vel eum turbat in τῷ ſuo. Et cum is, qui alterius τὸ ſuum hoc caſu negligit, alterius commodis non inſeruiat, quibus inſeruire tenetur, qui vero alterum in τῷ ſuo turbat, eum *laedat:* per neglectum τȣ̃ ſui alterius perfectio illius impeditur; per turbationem vero τȣ̃ ſui alterius, iſte laeditur.

Schol. Ea *laeſio*, quae conſiſtit in turbatione τȣ̃ ſui alterius, a doctoribus iuris naturae etiam *perfecta* ſeu *externa* vocatur.

§. XIII.

In perfectione et imperfectione dantur gradus (§. 5.). Poſita perfectione aut imperfectione ponitur bonum aut malum (§. 10.) adeoque dantur bona et mala, quae aliis ſunt vel maiora vel minora.

Digitized by Google

§. XIV.

Bonum minus reſpectu maioris eſt malum: malum contra minus reſpectu maioris eſt bonum. (per principia Met.).

§. XV.

Si perfectiones plures, adeoque plura bona collidantur, i.e. ſi impoſſibile ſit, vt ſimul ea omnia obtinere queamus: exceptio facienda eſt a minori (per principia Met.). Rurſus ſi imperfectiones plures, hinc mala plura collidantur, i.e. ſi neceſſe ſit, vt vnum eorum ſubeamus, excipe malum maius (per ead. principia.).

§. XVI.

Bona animae maiora ſunt bonis corporis, et haec maiora bonis fortunae: poſteriora mala minora ſunt illis duobus prioribus (per Phil. Mor.). Quod ſi itaque colliſio oriatur inter bona animae et corporis et fortunae: neglige poſteriora (§. praec.). Si contra collidantur mala et animae et corporis et ſtatus externi exceptionem fac a prioribus. (§. cit.)

§. XVII.

Status animae ex intuitiua boni, ad me relati, cognitione ortus dicitur *voluptas:* ex intuitu vero mali, ad me relati, *taedium.*

Schol. Satis decantata peruulgataque apud omnes eſt controuerſa, vtrum ad voluptatem vel taedium neceſſario requiratur, vt bonum aut malum cognitum ad me referam, necne? Nos adfirmantium ſententiae ſubſcripſiſſe, ex ipſa patet definitione. Idque fecimus non ob eam ſolum cauſſam, quia ad omnia iſta exempla, quae pars altera in contrarium adfert, poteſt reſponderi, verum etiam ob id potiſſimum, quia ſic nihil obſtaret, quo minus etiam de damnatis, quibus intuitio quorundam bonorum denegari non poteſt, eſſet adfirmanda quaedam voluptas, et aliqua felicitas, quod vero repugnat principiis Theologiae reuelatae.

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII.

Diximus (§. 10.) bona et mala vel vera eſſe vel adparentia: adeoque *voluptas* et *taedium* vel *vera* erunt vel *adparentia*.

§. XIX.

Voluptas perdurat, ſi in ea nulla ratio adeſt taediorum ſubſequentium: *taedium perdurat*, quando in illo nulla ratio voluptatis ſubſequentis.

§. XX.

Status voluptatis perdurantis in anima dicitur *felicitas*, eaque *vera*: taedii perdurantis ſtatus in anima vocatur *infelicitas vera*.

§. XXI.

Turbat ergo veram hominis felicitatem is, qui aliquid admittit, ex quo taedia perdurantia in anima illius oriuntur, felicitatem contra hominis veram promouet, qui ſtudet voluptati alterius perduranti (§. 20.). Et quicunque turbat hominis felicitatem, eum laedit (§. 22. 12.)

§. XXII.

Felicitas ſupponit praeſentiam bonorum et eorum intuitum (§. 20. et 17.): adeoque felicitas tam interna erit, quam externa (§. 11.). *Interna* oritur ex intuitu bonorum internorum: *externa*, ex intuitu externorum.

§. XXIII.

Bona interna ſunt bona animae et corporis (§. 11.): per conſequens felicitas interna augeri poteſt augmento bonorum animae et corporis. Bona externa ſunt bona fortunae (§. cit.): felicitas igitur externa promoueri poteſt ſolum per fortunae bona. Si quis loco bonorum ſubſtituit mala, is omnia iſta quoque de infelicitate inferre poteſt, quod nos iam breuitatis ſtudioſi praetermittimus.

§. XXIV.

Finis creationis hominis eſt felicitas eius (per Theol.

 Nat.

Nat.). Cum vero inter felicitatem atque beatitudinem nexus ſit neceſſarius (per Phil. Mor.): finis quoque creationis hominis fuit illius beatitudo.

Schol. Tantum abeſt, vt felicitas creaturarum, illuſtratio gloriae diuinae, Dei cultus ſeu religio ſibi opponantur, vt potius ſe inuicem inuoluant. Inde ſequitur, vnum idemque eſſe, an dicamus felicitatem creaturarum rationalium eſſe finem creationis, an illuſtrationem gloriae diuinae, an cultum Dei ſeu religionem.

§. XXV.

Quodcunque igitur felicitatem hominis promouet, conſentit cum fine illius (§. praec.): adeoque eum perficit (§. 5.); adeoque ei eſt bonum (§. 10.). Quod contra eum reddit infelicem, diſſentit cum fine illius (§. praec.) per conſequens illum imperfectiorem reddit (§. 5.); adeoque ei malum (§. 10.).

§. XXVI.

Bona interna ſunt maiora externis (§. 16.): inde ſequitur, vt felicitas etiam interna maior ſit externa (§ 21.). Mala externa ſunt minora internis (§. 16.): adeoque infelicitas externa minor erit interna. (§. 21.).

§. XXVII.

Malum minus reſpectu maioris eſt bonum, et bonum minus reſpectu maioris eſt malum, (§. 14.), ſi illa excludant haec; hinc felicitas externa reſpectu internae, quam excludit, erit malum, et infelicitas externa reſpectu internae, bonum (§. praec.). Quodſi igitur felicitas interna collidatur cum externa, excipe de externa, tanquam bono minori, ſeu malo: ſin autem colliſio oriatur inter infelicitatem externam et internam, exceptio a poſteriori, tanquam malo maiori, ſeu bono, eſt facienda (§. 16)

§. XXVIII.

Felicitatem homo ſolus, vel vnica quoque familia mediocris, niſi particeps fiat aliarum virium, id eſt, ſine *mu-*

tuo

Digitized by Google

tuo adiutorio, non ſatis commode conſequi poteſt (per exp.): adeoque eius vires obtinendae felicitati non ſufficiunt; per conſequens, homo ſolus et vnica familia, reſpectu felicitatis conſequendae, eſt medium inſufficiens (§. 4.):

§. XXIX.

Homo ſolus, vnicaque familia ad conſequendam felicitatem non ſufficit (§. praec.). Cum autem coniunctio plurium de vno eodemque obiecto, quod alias *finis communis* dicitur, obtinendo vocetur *ſocietas:* ſequitur, vt felicitas hominis, inita ſocietate familiarum longe melius, quam ſine illa, obtineatur.

§. XXX.

Societas familiarum ad promouendam cuiuslibet ſocii felicitatem, quantum fieri poteſt, inita dicitur *ciuitas* ſeu *reſpublica.*

Schol. I. Cum argumentum, quod nobis pertractandum ſumſimus, generaliorem illa, quae vulgo dari ſolet, requirat definitionem, nemini id, quod eam negleximus, mirum videbitur. Accedit huc, quod data maiorem cum aliis veritatibus habeat conuenientiam, per conſequens foecunditate vulgarem antecedat, quae virtus, vt alias taceam, iam ſufficiebat ad eam eligendam.

Schol. II. Ciuitas et reſpublica apud nos ſunt Synonyma, licet non ignoremus, quod tam a veteribus, quam recentioribus quibusdam diſtinguantur. Vid. IAC. THOMASII Philoſophia Pract. Tab. XLII. et b. HENR. KOEHLERI Ius Soc. et Gent. §. 497.

Schol. III. Per vnicum *familiae* nomen intelligimus complexum ſocietatum coniugalis, paternae, atque herilis.

§. XXXI.

In omni igitur ciuitate diſtingui poteſt α) finis ſeu felicitas omnium membrorum, quantum fieri poteſt, promouenda, β) plures illi, qui ſe ad illam obtinendam coniunxerunt. Felicitas ipſa promouenda dicitur *Bonum ciuitatis commune*, ſiue *publicum*, nec non *ſalus publica.* In qui-

Digitized by Google

bus vero iſte conatus promouendi ſalutem ciuitatis publicam deprehenditur, *ciues*, ſeu *membra ciuitatis* adpellantur.

§. XXXII.

Quicquid ſaluti publicae opponi poteſt, erit 1) felicitas quorundam promouenda cum detrimento reliquorum, 2) infelicitas quorundam, quorum felicitas tamen cum fine reipublicae poteſt conſiſtere, 3) infelicitas, quae ad omnes ſeſe diffundit. Hoc vocamus *calamitatem* ſeu *malum publicum*: illud, *malum priuatum*: iſtud, *bonum priuatum.*

§. XXXIII.

Ex his duobus antecedentibus paragraphis varia fluunt conſectaria: Omnis ciuis eſt ſocius; ſine ciuium felicitate finis reipublicae, adeoque Bonum publicum, obtineri non poteſt; Quodcunque ciuium impedit felicitatem, impedit bonum publicum; Poſita ciuium infelicitate, ponitur eorum non-felicitas, adeoque non-finis reipublicae, adeoque oppoſitum boni publici, per conſequens aut calamitas publica, aut bonum vel malum priuatum.

§. XXXIV.

LEX itaque SVPREMA REIPVBLICAE erit: *fac ea, quae promouent ſalutem publicam, quantum fieri poteſt. Fuge et bonum atque malum priuatum, et ea, ex quibus publica oriri poteſt calamitas, quantum fieri poteſt.*

Schol. Ex generaliſſima hac lege nonnullas ſpecialiores in ſequentibus deducemus, ſpecialiſſimas non attingentes. Pro ſcopo enim, quem nobis propoſuimus, ſufficit, ſi modo lex nulla deſit, ex qua non adhuc ſpecialior, immo ſpecialiſſima, poſſit deduci, ſufficit, ſi ex datis potiſſima principum officia poſſunt determinari.

§. XXXV.

Promoue ſalutem publicam quantum fieri poteſt, (§. praec.). Salus publica ſine ciuium felicitate non obtinetur (§. 33.): omnis vero felicitas ſupponit perfectionum praeſentiam et earum intuitum (§. 21.). *Fac ergo, vt tanta ſit intuitio tot tantarumque perfectionum, ſiue bonorum in ciuita-*

Digitized by Google

uitate, quanta in ea eſſe poteſt. Fuge tantum tot tantarumque imperfectionum, ſiue malorum intuitum, quantum in ea fieri poteſt. Fac ergo, vt reipublicae tuae perfectio tam extenſiua, quam intenſiua quantum fieri poteſt, promoueatur. (§. 7.) *Fuge, quantum fieri poteſt, harum oppoſita. Fac igitur, vt ſit perfectiſſima: et fuge, ne fiat imperfectiſſima* (§. 9.)

§. XXXVI.

Fac, vt tuae ciuitatis perfectio extenſiua, quantum fieri poteſt, promoueatur (§. praec.) omne igitur bonum ſeu perfectio omnis adeſſe debet, quae poteſt. Omne bonum vel internum eſt vel externum (§. 11.); *fac ergo, vt omnia bona tam interna, quam externa, quae in ciuitate tua eſſe poſſunt, adſint, et fuge, ne horum vnum vel plura, quae adeſſe poterant, abſint.* Cum vero ex intuitu bonorum internorum felicitas interna, ex intuitu externorum externa oriatur (§. 22.): *fac, vt reſpublica tua tam felix ſit et interne et externe, quantum fieri poteſt; Fuge contra omnia, quae eam aut interne aut externe reddunt infelicem; Fuge ergo laeſiones* (§. 21. & 22.).

§. XXXVII.

Fac, vt tua ciuitas ſit perfectiſſima (§. 35.). Quodcunque eſt perfectiſſimum, eſt quoque optimum (§. 13. et 9.), *fac igitur, vt tua reſpublica ſit optima: caue, ne fiat peſſima; imo ne quidem mala.*

Schol. I. Noli confundere rempublicam optimam, et rempublicam idealem ſeu fictam. In illa, de qua nos loquimur, nihil erit, quod impoſſibile ſit vel abſolute vel reſpectiue: in hac vero, ſi non abſolute impoſſibilia, attamen hypothetice talia deprehenduntur. Ad poſteriora iure meritoque referri ſolent, *reſpublica Platonica*, *Thomae Mori Vtopia Thomae Campanellae Reſpublica Solis*, *Anonymi Hiſtoire des Severambes.*

Schol. II. Ex hac lege non modo neceſſitas peregrinationum principis futuri probari, verum etiam ex ea, quomodo illae ſint inſtituendae, determinari poteſt.

§. XXXVIII.

Reſpublica optima eſt perfectiſſima (§. praec.); Perfectiſ-

Digitized by Google

Perfectiſſimus hominis ſtatus habet perfectionem maxime compoſitam (§. 9.): ergo respublica optima quoque habet perfectionem maxime compoſitam, adeoque plurimas regulas perfectionis determinantes (§. 6.). Cum vero ibi, vbi plures regulae determinantes reperiuntur, oriri poſſit colliſio regularum (per principia Metaph.) hinc ſequitur, vt in optima republica etiam poſſint eſſe exceptiones admodum multae.

§. XXXIX.

Si ergo in ciuitate tua optima collidatur bonum publicum atque priuatum, neglige poſterius (§. 34. coll §. 14. et 15.); *ſi collidatur extenſiua perfectio cum intenſiua, caue, ne excipias ab intenſiua* (§. 35. col. §. 15.); *ſi collidatur perfectio interna cum externa, exceptio fieri debet ab externa.* (§. 36. et 27.) *ſi collidatur malum priuatum cum publico, excipe de poſteriori* (§. 34. col. §. 15.); *ſi collidatur extenſiua imperfectio et intenſiua, excipe de poſteriori* (§. 36. §. 15.); *ſi collidatur infelicitas interna et externa, a priori excipe* (§. 36. §. 15. §. 27.).

§. XL.

Leges reipublicae antea demonſtratas ex ſolo ciuitatis fine deduximus, quod nemo, niſi huius rei ignarus, negabit. Finis reipublicae erat felicitas ſingulorum membrorum promouenda, quoad fieri poterat (§. 31.); Haec vero felicitas, niſi eorum ſtatus perficeretur, promoueri non poterat (§. 12. 22. 23. 35. 36. 37.): Ergo omnes hae leges, antea demonſtratae, nituntur lege iſta vniuerſali totius philoſophiae practicae, *perfice te.*

§. XLI.

Leges reipublicae omnes nituntur lege iſta vniuerſali, perfice te (§. praec.); lex illa eſt lex naturalis atque diuina (per Phil. Mor.): Ergo omnes reipublicae leges, antea demonſtratae, ſunt leges naturales, eaeque diuinae.

§. XLII.

Actio legi contraria, quae ei conformari poterat, di-

dicitur actio mala ſeu *peccatum*: *Actiones* igitur malae ſeu *publicae rei peccata* (*Staats-Fehler*) erunt actiones legibus reipublicae repugnantes.

§. XLIII.

Leges reipublicae ſunt leges naturales atque diuinae (§. 41.): Quicunque ergo contra leges reipublicae agit, peccat contra leges naturales ac diuinas (§. praec.).

§. XLIV.

Si quis peccat, aut deliberato animo agit contra leges, aut minus (per princ. excl. medii inter duo contradict.): ſi prius, *proaereticae ſeu voluntarie*; ſi poſterius *non-voluntarie peccat.*

§. XLV.

Dari ergo peccata reipublicae vel voluntaria vel non-voluntaria, quilibet videt (§. praec. §. 42.).

§. XLVI.

Qui voluntarie contra leges reipublicae peccat, peccat vel ex cognitione vera, ſiue legis ſit ſiue facti, vel ex cognitione vtriusque falſa: Si poſterius *voluntarie ex errore*; ſi prius, *voluntarie* quidem, ſed *ex non-errore peccare* dicitur. Ergo dantur peccata reipublicae voluntaria vel ex errore vel ex non-errore commiſſa.

§. XLVII.

Qui non-voluntarie peccat, peccat, quia aut legem ignorat, aut repugnantiam actionis cum lege. Si prius, *peccat ex ignorantia legis*; ſi poſterius, *ex ignorantia facti.* Dantur itaque peccata reipublicae non-voluntaria vel ex ignorantia legis vel facti.

§. XLVIII.

Tam error, quam ignorantia vel vincibilis eſt vel inuincibilis (per Phil. Mor.); vincibilis ſemper peccatori imputatur (per principia ead.): Ergo peccata reipublicae voluntaria ex errore, et non-voluntaria ex ignorantia vincibili aut legis aut facti perpetrata, imputabilia ſunt.

§. XLIX.

Cum omni peccato voluntario et non-voluntario,

Digitized by Google

ex ignorantia vincibili commiſſo, coniungitur reatus culpae et poenae (per principia Phil. Mor.): ergo cum peccatis reipublicae tam voluntariis, quam non-voluntariis, ex ignorantia vincibili commiſſis, coniunctus eſt reatus culpae et poenae.

§. L.

Omnis ciuis in ea, de qua nos loquimur, republica eſt homo. Omnis homo interne obligatur ad promouendam ſuam felicitatem (per Phil. Mor.): adeoque omnis ciuis interne obligatur ad agendum legibus reipublicae conformiter (§. 34. - 37.).

§. LI.

Omnis ciuis eſt ſocius (§. 33.). Quilibet ſocius, iuſto pacto talis, externam habet obligationem ad ea peragenda, de quibus pactum cum altero iniit, (per principia Iur. Soc.): omnis ergo ciuis externe etiam poteſt obligari ad conformandas ſuas actiones legibus reipublicae.

§. LII.

Sine mediis finis nullus ad exiſtentiam poteſt peruenire (§. 4.): adeoque nec finis reipublicae, qui erat felicitas omnium membrorum promouenda. Cum vero ciuis ſit ille, in quo conatus ad iſtam felicitatem promouendam deprehenditur (§. 31.): in omni ciue conatus eſſe debet, qui eſt coniunctus cum vſu mediorum.

§. LIII.

Solus itaque conatus, aut nuda tantum facultas finem reip. promouendi ad ciuem non ſufficit (§. praec.).

§. LIV.

Conatus coniunctus cum vſu mediorum dicitur *efficax:* qui cum eo non eſt coniunctus *inefficax* vocatur.

§. LV.

In ciue requiritur conatus, qui eſt coniunctus cum vſu mediorum (§. 52.); in ciue ergo requiritur conatus effi-

efficax (§. praec.): in quo vero conatus eſt inefficax, ille non eſt ciuis (§. cit.).

§. LVI.

Conatus efficax requirit vſum mediorum (§. 54.) Captatio occaſionis et impedimentorum remotio ſunt media (per principia Met.), per conſequens conatus efficax requirit captationem occaſionis atque impedimentorum remotionem: ciuis ergo occaſionem omnem, qua ſalus publica promoueri poteſt, captare debet, omniaque remouere pro virili, quae illam impediunt (§. 55.).

§. LVII.

Omnis voluntas eſt conatus agendi (per princ. Metaph.): ergo ille vel cum mediorum vſu coniunctus erit, vel minus. Si prius, *voluntas efficax, ſeria:* ſi poſterius, *inefficax, ſimplicis complacentiae, nuda velleitas* adpellatur. Medium eſt vel ſufficiens vel inſufficiens (§. 4.): voluntas ergo efficax iterum diuidi poteſt in *ſufficientem*, quae ab aliis quoque vocatur *efficiens*, et in *inſufficientem* ſeu *non-efficientem*, ex denominatione aliorum. Nihil obſtat, quo minus noluntas eadem ratione poſſit diuidi.

§. LVIII.

Ciuis debet habere conatum efficacem (§. 55.); per conſequens etiam voluntatem et noluntatem efficacem (§. praec.): nuda ergo velleitas ad ciuem non ſufficit (§. cit.). Et cum per medium inſufficiens finem nemo conſequi poſſit (§. 3.): in ciue ſemper eſſe debet voluntas ſufficiens ſeu efficiens (§. praec.), ſi fieri poſſit.

§. LIX.

Ciuem, qui habet voluntatem efficacem, dicimus *proprie ſic dictum*, eumque *bonum:* qui nudam vero velleitatem habet, *ciuem improprie ſic dictum* ſeu *ſegnem* adpellamus.

§. LX.

Quo quis plura, quo maiora bona reipublicae vel conſeruat, cum alias perirent, vel promouet, eo melior

 erit

Digitized by Google

erit ciuis; quo minus vero hoc facit, eo peior. (§. praec.) Ciuis igitur improprie ſic dictus erit peſſimus (§. cit.). Ex his merita atque demerita ciuium in rempublicam aliquam ſunt diiudicanda.

§. LXI.

Ciuis proprie ſic dictus ſeu bonus ſemper vtitur mediis ad promouendam ſalutem publicam, ſeu habet voluntatem efficacem (§. 59. col. 57.): adeoque ſemper perfectiones reipublicae vel conſeruare, vel augere (§. 12.), per conſequens eam perficere ſtudet (§. 5.): ergo omnis ciuis proprie ſic dictus reipublicae eſt vtilis, quoad opportunitas ei ſuppetit (§. 10. Schol. I.).

§. LXII.

Ciuis proprie ſic dictus vel *totalis* erit vel *partialis*, prouti ſe cum reliquis vel ad omnimodam ſociorum felicitatem, vel ad aliqualem tantum promouendam coniunxit.

§. LXIII.

Ciuis partialis de parte quadam felicitatis reipublicae promouenda cum reliquis membris conſentit, de quadam vero minus (§. praec.): hinc reſpectu huius partis non eſt ſocius (§. 29.); adeoque non poteſt illius reſpectu externe obligari (§. 51.).

§. LXIV.

Ciuis totalis ſemper melior erit partiali, ſi totum reipublicae reſpiciamus (§. 60. et §. 62.): etiamſi non negamus, ſi partem ciuitatis conſideremus, quod partialis nonnumquam totali eſſe poſſit melior. Ciuis partialis certo reſpectu non perficit rempublicam (§. praec.) adeoque certo reſpectu reipublicae eſt non-vtilis (§ 10. Schol. I.) ſed inde non poteſt concludi, ergo reipublicae eſt noxius (§. cit.); hinc partialis ciuis, ſi per pactum, ſiue tacitum ſiue expreſſum, in rempublicam fuit receptus, tolerari et poteſt et debet.

§. LXV.

Digitized by Google

§. LXV.

In quo conatus erit ad oppoſitum finis reipublicae promouendum, eum vocabimus *rebellem, in ſenſu latiſſimo.* Iſte conatus vel cum vſu mediorum coniunctus erit, vel minus: ſi prius, *rebellis proprie ſic dictus ſeu publicus* erit; ſi poſterius, *rebellem improprie ſic dictum* ſeu *clandeſtinum* adpellabimus. Isque, ſicuti ciuis, vel *totalis* erit vel *partialis.*

§. LXVI.

Nullus ergo ciuis ſegnis eſt rebellis (§. praec. et § 59.): falſum itaque erit, omnem ciuem ſegnem eſſe rebellem (per conſeq. immed.). Sed caue, ne ex hac propoſitione negata concludas, ergo quidam ciuis ſignis non eſt rebellis, et quidam eſt rebellis; nec ea valebit conſequentia, ſi velis a rebelli in ſenſu latiſſimo concludere ad rebellem proprie ſic dictum: ſed ea contra erit legitima, quicunque eſt rebellis, is vel totalis erit vel partialis. Porro, ciuis partialis poteſt eſſe rebellis in ſenſu latiſſimo, nec non improprie ſic dictus; ſed cum neque rebellis in ſenſu latiſſimo neque improprie ſic dictus perfectiones reipublicae vel imminuat vel auferat, (per def.): nullus quoque horum erit reipublicae noxius (§. 10. Schol. 1.), adeoque poteſt tolerari (§. 64.). Per conſequens ciuis partialis, quamdiu maneat rebellis in ſenſu latiſſimo aut improprie dictus, in ciuitate eſt tolerandus.

§. LXVII.

Omnis rebellis proprie ſic dictus habet conatum ad oppoſitum finis reipublicae, coniunctum cum vſu mediorum (§. 65.), per conſequens perfectiones reipublicae vel non auget vel non conſeruat vel imminuit, vel aufert (§. 12.), eoque rempublicam imperfectiorem reddit: (§. cit.): omnis ergo rebellis proprie ſic dictus reipublicae eſt noxius (§. 10. Schol. I.), eoque noxior, quo plura, quo maiora reipublicae bona vel non auget vel non con-

Digitized by Google

ſeruat vel imminuit vel aufert; hinc in republica nullo modo poteſt tolerari (§. 34. 35.).

§. LXVIII.

Omnis rebellis proprie ſic dictus ſeu publicus vtitur mediis ad felicitatem reipublicae impediendam (§. 65.): adeoque ciues in felicitate ſua impedit, atque turbat, hinc eos perfecte laedit (§. 12. Schol. et 21.). Cum vero is, qui alterum perfecte ſiue externe laedit, det ei cauſſam belli iuſtificam (per principia Iur. Nat. Cog.): omnis rebellis proprie ſic dictus dat reliquis ciuibus cauſſam belli iuſtificam.

§. LXIX.

Omnis rebellis habet conatum ad oppoſitum finis reipublicae (§. 65.): adeoque vel ad malum priuatum ſine colliſione cum ſalute publica, vel ad bonum priuatum in colliſione cum ſalute publica, vel ad calamitatem publicam (§. 32.), per conſequens, ſi mediis ad vtrumque finem obtinendum vtitur, agit contra legem reipublicae ſupremam et omnes, quas ex ea deduximus (§. 34. *ſeqq.*); adeoque omnis rebellis, ſi mediis vtitur, peccat. (§. 42.) hinc, ſi ciuis partialis, qui poteſt eſſe rebellis in ſenſu latiſſimo, nec non improprie ſic dictus (§. 66.), mediis vtitur ad oppoſitum finis reipublicae promouendum, tunc ille peccat, eoque ipſo non amplius tolerari poteſt.

§. LXX.

Omnis rebellis proprie ſic dictus peccat contra leges reipublicae (§. praec.): omnis ergo rebellis proprie ſic dictus vel voluntarie peccat, vel non-voluntarie (§. 45.) Si voluntarie, vel ex errore, vel minus (§. 46.): ſi non-voluntarie, ex ignorantia vel legis peccat, vel facti (§. 47.).

§. LXXI.

Rebellis voluntarie, non ex errore, peccans dicitur *ſtricte ſic dictus:* ex errore vero voluntarie peccans, *rebellis erro-*

erroneus: *Rebellis* non-voluntarius ex ignorantia vel legis vel facti peccans, nominetur *inſcius*.

§. LXXII.

Omnis rebellis ſtricte ſic dictus, erroneus et inſcius habet conatum ad oppoſitum finis reipublicae, qui coniunctus eſt cum mediis, (§. praec.): adeoque omnes rebelles ſtricte ſic dicti, erronei atque inſcii ſunt rebelles publici ſeu proprie ſic dicti (§. 65.), hinc reipublicae noxii (§. 67.); hinc membra reipublicae perfecte laedunt (§. 68.); per conſequens iis dant cauſſam belli iuſtificam (§. cit.).

§. LXXIII.

Cum peccatis reipublicae tam voluntariis, quam non-voluntariis ex ignorantia vincibili commiſſis, coniunctus eſt reatus culpae et poenae (§. 48.): rebellis ergo, ſtricte ſic dictus, erroneus atque inſcius contrahunt ſibi reatum et culpae et poenae.

Schol. Nemo non, niſi qui principia Iuris Socialis atque Iuris naturae cogentis plane ignorat, perſpicit, quam plura adhuc poſſent inferri. Inprimis de culpa negligentiae et dolo, de gradibus culpae et poenarum agerem, niſi et tempore et ſpatio excluſus finem huius ſectionis facere cogerer.

SECTIO II.

DE REGIMINE REIPVBLICAE ET IDEA PRINCIPIS.

§. LXXIV.

Gubernare ſeu *regere* aliquid nihil aliud eſt, quam illius actiones dirigere ad certum finem. *Gubernatio* igitur *reipublicae*, erit directio actionum ciuium eo, vt ſalus publica obtineatur.

Schol.

Digitized by Google

Schol. Si quis modo gubernationem hominis, nauis, currus atque equorum perpendat, non dubitabit, quin cum vſu loquendi noſtrae definitiones maxime conueniant. A data poſteriori non multum aberrat ea, quam dedit *Auctor* des Remarques ſur l'inſtruction des Enfans illuſtres, qui ſont deſtinès au Gouvernement, p. 12. *On gouverne*, inquit, *un pais, quand on uſe de ſon autorité et ſa puiſſance pour l'avantage et pour la ſeureté publique.*

§. LXXV.

Nihil ergo is, qui rempublicam vult gubernare, omittere debet, quidquid facit ad dirigendas actiones ciuium ad ſalutem publicam (§. praec.): adeoque vt ii fiant beati et felices (§. 31. §. 24.). Non modo igitur oſtendere debet, quomodo, quibus mediis et auxiliis finis ille ſit obtinendus, verum etiam efficere, vt ciues ſuas actiones ad leges reipublicae, ſine quo non datur ſalus publica, actu componant. (§. 4.).

§. LXXVI.

Gubernator reipublicae nihil omittere debet, quod facit ad dirigendas actiones ciuium ſuorum eo, vt fiant beati atque felices (§. praec.). Voluntas hominis non aliter, ac per *motiua*, quae in repraeſentatione malorum atque bonorum conſiſtunt, poteſt determinari (per principia Pſych. Emp.): omnis ergo gubernator reipublicae cum actionibus ciuium motiua connectere debet.

§. LXXVII.

Gubernator reipublicae connectere debet cum actionibus ciuium motiua (§. praec.); omnis connexio motiuorum cum actionibus dicitur *obligatio moralis:* hinc gubernator reipublicae ciues ſuos debet moraliter obligare.

§. LXXVIII.

Motiua ſunt repraeſentationes vel malorum vel bonorum (§. 76). Connexionem motiuorum, quae repraeſentant bona, *inuitationem* potius, quam obligationem adpellare volumus: connexio autem motiuorum cum actioni-

ni-

nibus, quae mala repraeſentant, et quae *motiua* etiam *praegnantia* ab aliis vocantur, dicitur *κατ' ἐξοχὴν*, et proprie *obligatio.*

§. LXXIX.

Gubernator reipublicae debet obligare ciues (§. 77.): adeoque eos vel inuitare ad conformandas ſuas actiones legibus reipublicae, vel obligare, vti hic terminus *κατ' ἐξοχὴν* ſumitur, (§. praec.). Cum vero propoſitio, quae enunciat connexionem motiuorum praegnantium cum actionibus vocetur *lex*: gubernator ſuis ciuibus *leges* ferre debet, et quae tunc dicuntur *ciuiles.*

§. LXXX.

Gubernator reipublicae ciues ſuos ad conformandas actiones ſuas legibus reipublicae vel inuitare debet, vel obligare *κατ' ἐξοχὴν* (§. praec.). Conſectarium bonum, quod bene agentibus tribuitur, vocamus *praemium*; malum vero conſectarium, quod male agentibus deſtinatur, adpellamus *poenam;* gubernator ergo reipublicae bene agentes per praemia inuitare ad agendum legibus reipublicae conformiter, male agentes per poenas obligare debet.

§. LXXXI.

In omni republica, de qua nobis ſermo eſt, dantur vel ciues ſegnes, vel rebelles omnis fere generis (per exp.); adeoque homines, qui vel actiones ſuas non ita, vti par eſt, legibus conformant, vel qui adeo contra leges peccant, (§. 59. §. 65. 71.): ergo nulla reſpublica gubernatione carere poteſt.

§. LXXXII.

Nulla reſpublica carere poteſt gubernatione (§ praec.) omnes vero ciues, in ſtatu naturali conſiderati, ſunt ſibi aequales (per princ. Iur. Nat.): nemini ergo ciuium, ſi ſolum eius naturam conſideremus, competit ius ſeu facultas dirigendi actiones reliquorum ad ſalutem publicam; adeoque nemini ciuium per ſuam naturam competit ius

Digitized by Google

ſeu facultas gubernandi rempublicam, (§.74.). Si ergo ex ſtatu naturali in ciuilem tranſire velint, id aliter fieri non poteſt, quam ſi omnes, in tradenda gubernatione reipublicae cuipiam eorum, conſentiant.

§. LXXXIII.

Ciuis, cui per conſenſum reliquorum reipublicae gubernatio traditur, dicitur *princeps*, *imperans*, *ſuperior*: reliqui vero ciues, nomen *ſubditorum*, *parentium* tunc accipiunt.

Schol. Si doctoribus iuris ſocialis licet totam ſocietatem conſiderare tanquam vnicam perſonam: mihi quoque licebit, vt omnem principem ſeu ſuperiorem tanquam vnicum ciuem conſiderem, etiamſi iſta reipublicae gubernatio pluribus ſimul competat.

§. LXXXIV.

Ex antecedenti §. varia fluunt conſectaria. Omnis nempe princeps eſt ciuis, adeoque in ſtatu ciuili, etſi de eo neque nomen ſubditi, neque ſtatus ſubiectionis dici poſſit. Omni principi datur ſimul poteſtas agendi in republica omne, quod in quolibet caſu ad dirigendas actiones ciuium facit, ſine interueniente eorum vlteriori conſenſu, quae poteſtas cum audiat *maieſtas*; omni principi conceditur ſimul maieſtas. Omnis princeps eſt ſolum per pactum talis. Nullus ciuis partialis, qua talis, poteſt eſſe princeps (§. 62.), et ſi nihilo ei ſecius gubernatio reipublicae tradatur, tunc deſinit eſſe ciuis partialis, ſi tanquam princeps conſideratur, hinc reipublicae ſemper melius conſulitur, ſi illius gubernatio ad ciuem totalem potius, quam partialem defertur.

Schol. Ex his reddi poteſt ratio, cur Angli, Poloni, Sueci nullum regem, niſi ſuae cuiuslibet religioni addictum eligant, et ſi alienae etiam eſſet deditus, cur ei non prius coronam imponant, quam antea eandem, quam ciues, religionem profiteatur.

§. LXXXV.

Princeps, qui maieſtate ſua eo, quo accepit fine, vtitur, dicitur *bonus*; qui vero maieſtate ſua non eo, quo acce-

ce-

Digitized by Google

cepit, ſine vtitur, *malus* adpellatur. Malus autem maieſtate ſua vel oppoſito, quo accepit, ſine vtitur, vel minus: ſi poſterius, *princeps improprie ſic dictus* ſeu *ſegnis* erit; ſi prius, ſemper *Tyrannus* audit. Subditi contra, qui maieſtatem boni principis laedunt, *rebelles* vocantur in ſenſu ſtrictiſſimo, et quod ſupra de rebelli proprie ſic dicto, eiusque ſpeciebus demonſtrauimus, de his quoque hoc loco valebit. Laedentes maieſtatem tyranni, non ſtatim pro rebellibus in ſenſu ſtrictiſſimo poſſunt haberi, ſed ii a Gallis *Mècontens* vocantur.

§. LXXXVI.

Omnis Tyrannus eſt rebellis proprie ſic dictus (§. praec. et §. 65.) in ſenſu ſtrictiſſimo autem nunquam is rebellis eſſe poteſt (§. praec.).

§. LXXXVII.

Omnis Tyrannus eſt rebellis, proprie ſic dictus (§. praec.), adeoque ille erit vel ſtricte ſic dictus vel erroneus vel inſcius (§. 71.), eſt reipublicae noxius (§. 67.), promouet oppoſitum finis reipublicae (§. 69.), per conſequens vel bonum atque malum priuatum, ſicuti vtrumque ſupra (§. 32.) definiuimus vel calamitatem publicam (69.), agit contra leges reipublicae, (§. 69.), adeoque peccat, (§. 69.), voluntarie, et quidem vel ex errore legis aut facti, vel ex non-errore, (§. 70.), ſibi contrahit culpae reatum et poenae (§. 73.), perfecte laedit ſibi ſubiectos (§. 68.), ergo dat iis cauſſam belli iuſtificam (§. cit.).

Cor. Omnis tyrannus eſt princeps malus, ſed non v. v. (§. 85.), et princeps, qui malum aut bonum priuatum promouet, non prius in numerum tyrannorum poteſt referri, niſi antea probatum fuerit, bonum priuatum, quod promouet, detrimento fuiſſe toti ciuitati, et malum priuatum, quod infligit, cum ſalute publica conſiſtere potuiſſe.

§. LXXXVIII.

Ex numero ciuium, quibus gubernatio a reliquis traditur, oriuntur diuerſae *Formae reipublicae.* Gubernatio enim illa vel vni,

Digitized by Google

vel aliquibus traditur, vel omnibus manet communis: ſi iſtud, ſtatus ille in republ. *monarchia;* ſi illud, *ariſtocratia;* ſi hoc, *democratia* vocatur.

Schol. I. Si qua alia reipublicae forma praeter has nominatas exiſtere poſſet, eſſet illa ſane aut ex his omnibus aut ex duabus compoſita, quae *mixta* adpellari ſolet. Etenim his allegatis plures ſimplices atque radicales dari nullas, ex earum oppoſitione conſtat.

Schol. II. Quaelibet rei forma publicae et ſua commoda habet et ſua incommoda, quae omnia recenſere nimis foret longum. *Incommoda Monarchiae* tam viuide deſcripſit, incomparabilis ille vir atque orator IAC. SAVRIN *dans ſes Sermons ſur divers Textes de l'Ecriture ſainte*, T. III p. 121. quam ante eum nemo. *Quels ſont*, ſcribit ille, *les inconvéniens particuliers au Gouvernement Monarchique? Dans quels cas pourra-t-il être funeſte? Quand le Monarque, au lieu d'avoir le bien de ſon Peuple pour Loi ſouveraine, ſuivra ſon propre caprice. Quand il ſe croira élevé au pouvoir ſuprême pour ſa gloire particulière, et non pour la gloire de ſon Roiaume. Quand étendant ſon autorité au-de là de ſes juſtes bornes, il voudra dominer ſur la vie et ſur la fortune de ſes Sujets. Quand pour venger une querèle qui lui eſt particulière, et pour ſatisfaire une gloire qui n'a point d'influence ſur le bonheur de ſes Peuples, il les engagera dans des guerres ſanglantes, et les immolera à une grandeur chimérique et imaginaire. Quand il conſumera en bâtimens ſuperbes, en ameublemens exceſſifs, en équipages ſomptueux, la ſubſiſtance de ſes Peuples. Quand il impoſera des tributs énormes et des ſubſides exorbitans. Quand il ſera inacceſſible à la Veuve et à l'Orphelin. Quand pour s'abandonner à ſon indolence, il voudra ſe diſpenſer d'étudier les beſoins de ſes ſujets. Quand pour s'affranchir du poids de l'Empire, lorsqu'il s'en approprie les avantages, il en remettra les rênes à un Conſeiller téméraire, à un Favori inſolent. Quand il aura de la Roiauté l'idée que s'en formoit un Ancien, qui la definiſſoit faire impunement tout ce que l'on veut, et ſic porro.*

Schol. III. *Libri*, qui formae cuidam reipublicae contrariantur, dicuntur *in ea periculoſi.* Sic libri in Monarchia periculoſiores erunt, qui quidem Democratiae nihil nocent, omnes *libri Monarchomachici*, quorum auctores, omne ius omnemque imperandi facultatem ad populum deferunt. Si quis *Catalogum eorum*, quorum numerus augeri potuiſſet, nec non horum auctorum principia vult legere, adeat modo Obſ. Halenſ. T. VI. Obſ. I. et b. BVDDEVM in Hiſt. Iur. Nat. §. 52.

Huiusmodi farinae liber eſt, BILANX *politica*, de quo libro memini me legere in Collegio quodam MSTO GVNDLINGII in Hiſt. Litt. ſequentia: *Es hält* PVFFENDORFF in I. N. et G. Lib. VII. c. 5. §. 9. *davor, daß dieſes Buch müſte ganz und gar ſupprimiret werden, damit es*

nicht unter die Leute käme, weil es ſonſt den Peuple *leicht irritiren kann.* Euolui Puffendorffium, et ne verbum quidem de ſuppreſſione huius libri curanda loco cit. vidi. Verba vero, quae Gundlingius ad ſententiam hanc, Puffendorffio adfictam, quaſi refutandam addidit, ſunt notatu digniora, *Allein die Fürſten,* inquit ille, *dürffen nur gut regieren und zeigen, daß ſie* propter populum, *das Volck aber nicht ihrent wegen. Wenn ſie aber nicht gut regieren, kann das Volck wohl ohne Leſung ſolcher Bücher irritiret werden.* In Democratia et Ariſtocratia libri perieuloſiores ſunt ſcripta. *Machiauelli* et huius generis ſimilia. *Machiauelli* principia refutanda ſuſcepit Auctor Anti-Machiauelli, quem M. F. *de Voltaire edidit, impreſſit vero Iean van Duren* 8. *a la Haie, avec privilege de ſa Majeſtè imperiale T. II.* et quam editionem optimam eſſe putat Aletheophilus in epiſtolis ſuis philoſophicis p. 100. Gundlingius loc. cit. in numerum horum librorum refert MAZARINI *Politicam*, de qua libere, more ſuo, ita ſentit: *dieſes Buch hält eine rechte Spizbuben-Politic in ſich, und iſt inſonderheit jungen Leuten, die noch keine rechte fundamenta politica haben, nicht zu recommendiren.*

SECTIO III.

DE OFFICIIS PRINCIPVM.

§. LXXXIX.

Actio legibus conformanda vocatur *officium*. Lex eſt propoſitio enuncians connexionem motiuorum praegnantium cum actionibus, ſeu obligationem proprie ſic dictam, (§. 78.): Officium itaque erit actio, ad quam vel ſuſcipiendam vel omittendam nos obligamur, et cum in eiusmodi actiones ſolas cadat imputatio (per princ. Phil. Pract. Vniu.); ſequitur vt in eas ſolum actiones, ad quas ſuſcipiendas vel omittendas obligamur, cadat imputatio.

§. XC.

Omnis princeps eſt ciuis (§. 84.). Omnis ciuis interne et externe obligatur ad conformandas ſuas actiones legibus reipublicae (§. 50. et 51.): omnis ergo princeps, quatenus eſt ciuis, obligatur tam interne, quam externe ad ſuas actiones legibus reipublicae conformandas.

§. XCI.

Omnis princeps eſt gubernator reipublicae per pactum (§. 83. §. 84.); in omni pacto iuſto habet locum obligatio externa (per princ. Iur. Nat. Cog.): omnis ergo princeps, quatenus eſt gubernator reipublicae, externe obligatur, ad agendum legibus reipublicae conformiter

§. XCII.

Princeps omnis tam vt ciuis, quam vt gubernator reipublicae conſideratus, et interne et externe obligatur ad conformandas ſuas actiones legibus reipublicae (§. 92. 93.); actio vero, ad quam obligamur, dicitur officium (§. 89.): *dantur ergo officia principum*, per conſequens *actiones, in quas cadit imputatio.* (§. 89.).

§. XCIII.

Omnis princeps eſt ciuis (§. 84.): *omnis* ergo *princeps debet habere conatum ad promouendam felicitatem ſibi ſubiectorum, qui coniunctus eſt cum vſu mediorum* (§. 52.); *hinc et conatum et voluntatem et noluntatem efficacem* (§. 55. 58.); *nec non ſemper in eo eſſe debet voluntas ſufficiens, quoad fieri poteſt,* (§. 58.); *debet captare omnem occaſionem, qua ſalus publica promoueri poteſt, et remouere pro virili omnia, quae illam impediunt* (§. 56.); *deuitare debet ſegnitiem* (§. 59. et 60.).

§. XCIV.

Omnis princeps eſt gubernator reipublicae (§. 83.): per conſequens, *omnis princeps nihil omittere debet, quod facit ad beatitudinem atque felicitatem ſibi ſubiectorum* (§. 75.); *hinc media iis oſtendere atque auxilia ferre, quibus ille finis obtinetur* (§. cit.); *debet efficere, vt omnes ſibi ſubiecti actiones ſuas actu ad leges reipublicae componant* (§. cit.); *vt ergo parentes ei ſint ciues boni* (§. 59. 61.), *debet curare, vt reſpublicae ſua a rebellibus, imprimis proprie, ſtricte, et ſtrictiſſime ſic dictis maneat libera* (§. 65. 67. 68. 69. 71. 72. 85.), *adeoque debet cum parentium actionibus connectere motiua* (§. 76.); *hinc eos obligare* (§. 77.); *per conſequens vel innitare, vel obligare* κατ' ἐξοχὴν (§. 78.); *debet ergo iis leges ferre* (§. 97.); *praemia atque poenas conſtituere* (§. 80.); *ſtudere debet vt ſit princeps bonus et euitare, ne fiat princeps malus, hinc nec princeps ſegnis nec tyrannus* (§. 85.), *adeoque ne peccet contra leges* (§. 87.), *per conſequens, ne homines ſibi ſubiectos laedat, iisque det cauſſam belli iuſtificam* (§. cit.).

§. CXV.

Omnis princeps, qua princeps, debet eſſe ciuis totalis (§. 84.), hinc ad omnimodam eorum, qui ei parent, felicitatem promouendam obligatur (§. 62. 90. 91.). Ex his iterum ſequentia fluunt officia: *princeps ergo felicitatem ſibi ſubiectorum tam intenſiuam, quam extenſiuam, quantum fieri poteſt, debet promouere* (§. 35.), *hinc efficere, vt ii, quoad fieri poteſt, fiant perfectiſſimi,* (§. cit.), *adeoque vt ſtatu optimo gaudeant* (§. 37.), *debet promouere eorum felicitatem cum internam, tum externam* (§. 36.), *adeoque tot tantaque bona et animae et*

cor-

Digitized by Google

corporis et fortunae iis conferre, quot et quantorum ii ſunt capaces, et quantum fieri poteſt, (§. cit.): *per conſequens oportet eum, quam maxime poſſit, eſſe ſollicitum, ne vnus quidem eorum fiat vel externe vel interne infelix* (§. cit.), *ne vllo ſuorum, quae poſſidet bonorum vel animae vel corporis vel fortunae, niſi vrgente boni publici neceſſitate, priuetur* (§.23.), *per conſequens in τῷ ſuo turbetur.* (§.12.)

Schol. Spatii anguſtia impedior, quo minus ad ſpecialioria officia, ſicuti animus erat, nunc deſcendam. Breuiſſimis itaque indicabo, quae officia magis determinata ex his allatis inferre potuiſſem. Princeps ſtatum ſibi ſubiectorum, quoad fieri poteſt, internum perficere debet, adeoque iis tot animae atque corporis bona conferre, quot per ſalutem publicam licet (§.95.): *hinc princeps curare debet, vt parentium facultas tam cognoſcitiua quam adpetitiua, quo poteſt fieri modo, perficiatur, hinc promoueatur prioris vaſtitas claritasue, poſterioris autem rectitudo: de habilitatibus corporis eiusq. opportunitatibus, de ſanitate ſuorum ciuium aut conſeruanda aut reſtituenda princeps debet eſſe maxime ſollicitus, per conſequens, caueat, ne media ad hos fines ſufficientia deficiant, ne Scholae, Gymnaſia, Vniuerſitates, ac opificinae deſint, ne ſua respublica careat viris omni doctrina conſpicuis, artis ſalutaris atque vulnerum, cuius eſſet cunque generis, ſanandorum peritiſſimis, optimis artificibus opificibusque, magiſtris ad mouenda corpora, arma tractanda, et equos agitandos maxime idoneis.* Princeps ſtatum externum ſibi ſubiectorum perficere, hinc bona fortunae, quantum poteſt iis augere debet (§.95.); *vnde eorum patrociniis tuendis, contrahendis atque confirmandis amicitiis, honoribus, qui alunt artes, gloriae illorum, qua omnes ad ſtudia et quaeuis alia praeclara incenduntur, inſeruiat, de cultura agrorum, de mercatura, de emporiis ſit ſollicitus, per conſequens non maiora vectigalia, quam boni publici neceſſitas vrget, exigere, ſibi ſubiectos oneribus vix ferendis premere et eorum vitam reddere acerbiſſimam.* Principem denique decet curare, ne parentes vllo modo in τῷ ſuo turbentur (§.95.), *inde ſequitur, vt ſuos ab omnibus laeſionibus tam externis, quam internis ſaluos praeſtet atque ſecuros, per conſequens vt faciat, quidquid hoſtium vim arcere, inteſtina bella impedire, rapinas, furta et id genus alia mala prohibere poſſit.*

§. XCVI.

Sine religione vera nemo poteſt eſſe interne felix.

Schol Hanc propoſitionem lemmatis inſtar adſumo, adcuratam vero atque ſolidam illius qui vult legere demonſtrationem, is modo adeat cel. IO. PETR. REVSCHIVM Patronum atque Praeceptorem meum, omni pietatis cultu aeternum proſequendum. Propoſitionem hanc firmiter ſtabiliuit primum breuius in ſuo programmate, *de religionis verae cum felicitate vera neceſſario artiſſimoque nexu;* vberius deinde atque exactius in Cap. I. libri, qui inſcribitur: *introductio in Theologiam reuelatam.*

§. XCVII.

Digitized by Google

§. XCVII.

Imperans ad internam ſibi ſubiectorum felicitatem promouendam obligatur (§.95.). Cum vero illa ſine vera religione obtineri non poſſit (§.96.), *princeps ad veram religionem inter ſibi ſubiectos promouendam obligatur.*

Schol. I. Ab hac noſtra ſententia, vt alios taceam, in primis *Anonymus* quidam, qui ſub litteris P. A. P. O. I. L. A. latere voluit, diſcedit in *epiſtola de Tolerantia. Goudae. 1689.* Negat ille, quod cura animarum ad principes poſſit extendi. *Quod vero ad bona*, ait ille, *haec ciuilia vnice ſpectat tota magiſtratus iuriſdictio et in iis ſolis curandis promouendisque terminatur, et circumſcribitur omne ciuilis poteſtatis ius et imperium, nec ad ſalutem animarum aut debet aut poteſt vllo modo extendi, ſequentia mihi videntur demonſtrare etc.* Praecipuum huius argumentum eſt p. 13. ſecundum: *Cura animarum non poteſt pertinere ad magiſtratum ciuilem, quia tota illius poteſtas conſiſtit in coactione. quae vero repugnat humani intellectus naturae, quippe qui nulla vi externa cogi poteſt.* Etſi poſterius ei lubentiſſime concedamus; negamus tamen, totam imperantis poteſtatem in coactione conſiſtere. Nam princeps non ſolum ſibi ſubiectos debet obligare κατ' ἐξοχήν, verum etiam inuitare, ſicuti nos §. 94. col. §. 78. ſatis ſuperque probauimus. Cum vero inuitatio non ſit coactio; falſum eſt, totum principis munus in ſola conſiſtere coactione.

Schol. II. Cum nulla reſpublica bene conſtituta ſit ſine religione, nec eſſe poſſit, vides, L. B., quanta materia ſcribendi hic ſe nobis offerat. Quam multa ego, ſi modo in praeſentia liceret, de iure principis concilia conſcribendi, leges eccleſiaſticas ferendi, ſenatum conſtituendi ſupremum, in quo omnes lites ad Eccleſiam pertinentes ſine omni partium ſtudio decidi poſſunt, de limitibus, quibus maieſtas principis in gubernanda Eccleſia circumſcribitur, de tolerantia eorum, qui vel nullius Eccleſiae doctrinae typum ſequuntur, vel longe alium, ac qui publicus eſt, de iure et modo puniendi haereticos, et ſic multa alia hic exponere poſſem?

§. XCVIII.

Princeps eſt gubernator reipublicae (§.83.). omnis reſpublica habet perfectionem compoſitam, pluresue regulas perfectionis determinantes (§.38.); *imperans ergo, quando in ſua ciuitate bonum publicum atque priuatum, intenſiua perfectio ſibi ſubiectorum cum extenſiua, interna eorum felicitas cum externa colliduntur, ſemper poſteriora negligere debet* (§.39.): *ſin autem malum priuatum cum publico, extenſiua imperfectio ciuium cum intenſiua, externa eorum infelicitas cum interna colliduntur, caueat ſibi princeps, ne exceptionem faciat a prioribus* (§. cit.).

Schol. Quo ſaepius ea in re a gubernatoribus reipublicae peccatur; eo libentius et plura et ſpecialiora de his officiis protuliſſem, niſi nolentem volentem vela contrahere me oporteret, atque huic labori coronidem imponere.

Digitized by Google